N. 535.

CURRENDA II.

A. D. 1870.

N. 443.

Illustrissimus ac Reverendissimus Praesul Noster in epistola sua bis Tarnoviam data, Clerum Dioecesanum salutat atque benedictionem Illmo Capitulo, Clero Dioecesano saeculari et regulari atque Seminario Dioecesano a Summo Pontifice benignissime impertitam et concessam annuntiat, quod pro gratissima notitia Venerabili Clero Dioecesano communicatur cum provocatione, ut enixas ad Deum Patrem omnipotentem pro incolumitate, prosperitate atque felici ad Dioecesim reditu Praesulis sui fundat preces.

Tarnoviae die 27. Januarii 1870.

Nr. 534.

In Dei Filio Nobis Dilectis Omnibus et Singulis Fratribus et Sororibus Sacri Ordinis Praedicatorum

NOS

FR. ALEXANDER VINCENTIUS JANDEL

Sacrae Theologiae Professor ac totius ejusdem Ordinis humilis Magister Generalis et Servus

Salutem in Domino, spiritum orationis, et Filialem erga Reginam Ssmi Rosarii Devotionem.

Faustum nuncium quod heri laetanter excepimus, vobis, nulla mora interposita, transmittere festinamus, Brevis nempe Pontificii novas pro quotidiana recitatione Rosarii, durante Concilio Vaticano, indulgentias concedentis.

Sane, dum tanta benignitate Sanctitas Sua votis Nostris annuere dignata est, praeclarum et indubium Suae peculiaris in SSmi Rosarii devotione fiduciae argumentum Orbi Catholico exhibet, unde justum est, ut nos, quos hujus sacrosancti patrimonii Divus Dominicus haeredes constituit, novo et ardentiori pro dilatatione devotionis adeo salutaris zelo accensi, eam et impensius colamus, et ubique inter fideles praedicemus et propagare indefesse studeamus, ipsosque ad quotidianam SSmi Rosarii precationem, tot novis favoribus auctam, suaviter et fortiter alliciamus.

Et quemadmodum hujus orationis virtute S. Pius V. de Turcarum potentia victoriam reportare, et Ecclesiae hostes plurimis elatos triumphis conterere meruit, ita fore confidimus, ut dignus ejus successor SSmus D. N. Pius PP. IX. eorumdem armorum divina virtute hodiernos Religionis hostes, Ecclesiae Christi Turcis ipsis infensiores, profligare, et errantes ad lucem veritatis et ad vias justitiae, mediante Oecumenico Concilio, reducere mereatur.

Ad tantum bonum per SSmi Rosarii devotionem promovendum, vos omnes et singulos totis viribus adlaboraturos esse non dubitamus, et tali fiducia freti, vobis benedicimus in Domino Nosque cum Sociis Nostris precibus Vestris commendamus.

Datum Romae in conventu Nostro Sanctae Mariae supra Minervam, die V. Decembris, Anno Domini MDCCCLXIX.

Fr. A. V. Jandel,
Mag. Ord.

Fr. Hyacinthus Marchi,
Mag. Prov. Daciae et Socius.

Pius PP. IX.

Ad futuram rei memoriam.

Egregiis Sui Ordinis Institutoris excitatus exemplis, ejusque vestigia sequi prae oculis habens dilectus filius **Vincentius Jandel, Ordinis Fratrum Praedicatorum Magister Generalis,** humiliter Nobis exponendum curavit, maximum rei christianae emolumentum fore obventurum, si quotquot sunt in orbe fideles ad frequentiorem hodiernis diebus Rosarii B. M. V. recitationem alliciantur. Quaemadmodum enim S. Dominicus illa precatione tamquam gladio invicto ad nefariam Albigensium haeresim confringendam, quae christianae reipublicae pacem et tranquillitatem pessumdare minabatur, usus est, sic fideles hoc veluti armaturae genere instructi: nempe quotidiana Rosarii B. M. V. recitatione, ut tot errorum monstra in praesens undique grassantia potenti Deiparae Immaculatae subsidio, et Concilii Oecumenici Vaticani a Nobis indicti mox auspicandi auctoritate, convellantur, eradicentur, facilius erunt consecuturi. Quo vero id certius fiat, enixe a Nobis petiit ut Indulgentiis, quae a Summis Pontificibus Praedecessoribus Nostris jam fidelibus illa precandi formula *Rosario* nuncupata utentibus concessae sunt, alias quoque adjicere de Benignitate Nostra dignaremur. Nos qui a Nostra prima aetate, ac praesertim cum in hanc B. Petri Cathedram, benignissimo Deo sic jubente, ascendimus, Nostram fiduciam in B. Dei Matre Maria totam posuimus, Eique soli a Deo datum fuisse, ut cunctas in universo mundo haereses interimeret, pro certo habentes, piis precibus Nobis oblatis ultro obsecundare, ac ut infra indulgere voluimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui, donec Concilium Oecumenicum Vaticanum perduraverit, singulis cujusque hebdomadae diebus saltem quinque decades Rosarii devote recitaverint

servatis quoque, quae in ejus recitatione alias injuncta sunt; insuper vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti quamlibet Ecclesiam, seu Oratorium publicum visitaverint, ibique pro felici Concilii Oecumenici Vaticani exitu, et juxta mentem Nostram pias ad Deum preces effuderint, qua hebdomada id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus Praesentibus Concilio Generali et Oecumenico Vaticano perdurante valituris. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, sigillo Personae Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Decembr. MDCCCLXIX. Pontificatus Anno Vigesimo quarto.

N. Cardinalis **Paracciani Clarelli.**

Continuatio motivorum

In Currenda XVII. et XVIII. ex a. 1869. publicari coeptorum.

XIV. Considera, quod recitatio divini Officii sit actio omnino divina; et ideo appellatur *Officium divinum*, non tantum, quia dirigitur ad Deum, et quia ad honorem gloriam Divinitatis fieri debet per personas effectas, ut ita dicam, *divinas* ob sanctitatem vitae suæ: ast etiam, quia fit verbis et affectionibus omnino divinis; utpote iisdem, quæ olim dictata fuerunt a spiritu Sancto; estque etiam unica et continua ipsius Dei occupatio, cui per omnem aeternitatem non erit alia, quam seipsum amare et glorificare. An umquam, obsecro, serio et mature, ut par est, perpendisti excellentiam et magnitudinem hujusce actionis, in qua modo incipis facere per intervalla, quod assidue et incessanter facies in aeternum? in qua legatione fungeris apud Deum pro tota Ecclesia? in qua Officium agis Angeli, assistens, sicut ille, coram hac suprema Majestate, in qua denique ipsiusmet Dei Officium exequeris? Igitur tanta cum circumspectione, respectu et devotione Officium divinum persolve, ut non merearis terribilem hanc maledictionem: *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* Jerem. 48.

XV. Tota creaturae rationalis occupatio deberet esse haec, laudare Creatorem et Deum suum, eique assiduas agere gratias. Quae enim occupatio hac utilior, dulcior et justior esse aut excogitari potest? Verum infinita sunt sancti hujus Exercitii impedimenta. Plerique hominum curis temporalibus sunt irretiti: Mercator negotiatione: Operarius labore: fere omnes, ut Martha, *solliciti sunt et turbantur erga plurima.* Quare per integram diem non eis suppetit tempus, bene et serio cogitandi de Deo. Occupatio ista, quae deberet esse praecipua omnium, saepius est maxime neglecta: *Porro unum est necessarium.* Luc. 10. Recordare et

considera, tuum esse, supplere tantos defectus: *Vide ministerium, quod accepisti a Deo, ut illud impleas.* Coloss. 4. Tot homines aliunde sunt occupati et impediti: tuum est, pro iis manus et vocem levare ad Coelum; Deoque reddere honorem et cultum ipsi debitum. Quantam Deo reddere debetis rationem; si, quod facere deberes pro te et pro aliis, non facias omnino; vel non eo, quo fieri deberet, animo et modo?

XVI. Quid fecisti, ut merereris prae tot aliis a Deo eligi et elevari ad tam dignum ministerium? Quemadmodum Salvator noster Christianos elegit et separavit e magna multitudine Paganorum: ita quoque elegit et separavit Clericos e magna multitudine Christianorum: ita, ut hic quoque uti liceat verbis Christi ad Apostolos suos: Joann. 15. *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos.* Et in quem finem? *Ut eatis*, inquit, *et fructum afferatis, ut quodcumque petieritis Patrem, det vobis.* Magna illa multitudo occupatur curis temporalibus, et necessaria vitae sibi procurare conatur: te vero liberavit et exemit ab hac cura, deditque tibi occupationem suaviorem pro hac vita, et utiliorem pro altera. Quae sunt merita tua, ob quae talem praedilectionem meruisti? Agnosce igitur, quae sit obligatio tua, et quantum gratitudinis debitum: ut minimum hanc gratitudinem tuam ostende devota Officii divini recitatione; haec enim occupatio est longe suavior curis temporalibus. Quam terribilis inconcinnitas! invenire est personas, quibus Ecclesia largissime providet, ut ei serviant et succurant; quibus tamen Ecclesia cordi non est, nisi ob bona sua, et gloriam humanam; et quae illam dedignarentur, si non haberet alia, quam bona Evangelii.

XVII. Si perpendamus dignitatem filiorum Dei, ad quam Deus nos exaltavit, *ut filii Dei nominemur, et simus.* Joannis 3. Si consideremus, quod dignetur a nobis recitantibus divinum Officium appellari *Pater noster:* si aliunde animadvertamus tot ac tanta crimina, quibus divina Majestas continuo offenditur a personis cujuscumque status et conditionis: tot injustitias, immunditias, blasphemias, et tam indignam Dei oblivionem inter ipsos Christianos; deberemus dolore confici videntes Deum toties ac tantopere offendi: *Tabescere me fecit zelus meus.* Ps. 118. Et quis est iste, qui adeo vituperatur et contemnitur? *Numquid non Pater unus omnium nostrum? Numquid non Deus unus?* ait Malachias, cap. 2. Profecto male de te augurari oportet, si inde non commovearis; et si immoto animo contemplari possis, sanctam Dei legem tam indigne violari, quae deberet esse unicum attentionis et meditationis tuae objectum: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine? tota die meditatio mea est.* Ps. 118. Cooperare, quantum potes, reparationi tot injuriarum Deo illatarum: redde ei honorem et gloriam, quibus privatur a peccatoribus: scito, in hunc finem institutum esse Officium divinum. Igitur *zelus* honoris Dei Patris tui *comedat* te, dum peccatores illum contemnere non verentur: adjunge te Seraphis (Isaiae 6.) et quatuor animalibus (Apoc. 4.) dicentibus et clamantibus: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus*: psalle cum Propheta Regio: *Benedictum Nomen Majestatis ejus in aeternum... fiat, fiat*, Ps. 71.: Dic cum Ecclesia in Hymno *Te Deum laudamus: Per singulos dies benedicimus te, et laudamus Nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.*

XVIII. Si Clerici non compatiantur caecitati tot hominum, qui vita sua parum Christiana suae sunt causa damnationis, et qui Deum, cui servire deberent, tam indigne contemnunt: hoc ipso satis indicant, se non habere charitatem et zelum, quibus accendi deberent pro salute animarum; nec etiam spiritum Ecclesiae, quae, ut Vidua illa Luc. 7. flebat mortem corporalem filii sui, continuo deplorat mortem filiorum suorum spiritualem. Si debita cum charitate et fervore Officium divinum persolveres: si recitares Horas ineffabilibus illis cum suspiriis, quae Spiritus Sanctus tibi inspirat: quot animas e medio criminum, et forte e morte aeterna non eriperes; de quibus rationem Deo reddere debebis; quia non eis obtinuisti gratias, quibus praeservatae fuissent a tanto infortunio. Hac charitate et zelo adeo succensus erat David, ut diceret Ps. 118. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Item Paulus, ut optaret ipse anathema esse a Christo pro fratribus suis.* Rom. 9. Denique Moses, ut pro salute populi sui vellet deleri de Libro Vitae. Exod. 32. Quanta dissimilitudo inter ejusmodi charitatis et zeli affectus, et inter ignaviam teporemque, quibus dicimus preces ab Ecclesia institutas ad obtinendas a Deo easdem gratias et misericordias!

XIX. Aliud efficax motivum charitatis, quod nos ad devotam Horarum Canonicarum recitationem excitare debet, est consideratio tot calamitatum publicarum et punitionum particularium, quas justitia divina praeparat et infligit ob peccata hominum: quarum exempla plurima subministrat Scriptura sacra et experientia quotidiana. Si peccatores (de quorum numero certe sumus) evitent justam peccatorum suorum poenam: si Deus eos expectet ad poenitentiam: si ex abundantia pietatis eos ad se vocet: si calamitates publicas cessare faciat: id acceptum referri debet precibus Ecclesiae et devotioni Personarum Deo sacrarum, quae nomine Ecclesiae, quae semper exauditur a Sponso suo, rite ei offerunt preces publicas ab eadem injunctas. Ecclesiastici semper stare debent in conspectu Domini, ad avertendam vindictam divinam precibus suis: debent facere in nova Lege, quod Jeremias faciebat in veteri, dicens cap. 18.: *Recordare, Domine, quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bona, et averterem indignationem tuam ab eis.* Sed vide, an non jure merito credere possis, ad te dirigi querimoniam illam, quam Dominus facit, Ezech. 22. *Quaesivi de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam; et non inveni.*

XX. Quam felices estis, quod respectu peccatorum, et poenarum, quas expectare debent, sitis ministri misericordiae divinae, et sicut Tertullianus vos appellat, *deprecatores Dei, hominum servatores?* quanta merita accumulabitis! quae merces vobis est expectanda, si de vobis vere dici possit, quod summus Sacerdos Onias olim testificabatur de Propheta Jeremia: *Hic est fratrum amator, et populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo.* 2. Machab. 15. Has in vobis qualitates requirunt et Mater Ecclesia, et ipse status vester. Verum etiam quam infelices, si munus vestrum negligentes, vos ipsi Majestatem divinam dehonoretis; ubi vestrum esset, ei reddere cultum et honorem congruum pro tantis, quas aliunde accipit, injuriis! et si eam offendatis negligentiis, tepore, distractionibus, et praecipitationibus

vestris; ubi misericordiam ejus promereri et attrahere deberetis. Numquid enim orantibus irreverenter timenda est haec maledictio, Ps. 108. *Diabolus stet a dextris ejus; cum judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum.* Quanta confusio, si preces, quas facimus, non mereantur aliud, quam hanc terribilem exprobrationem: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.* Isaiae 29.

(Continuatio seq.)

Continuatio

Casuum liturgicorum.

27. Dum Petrus, Cooperator, in Missa s. Hostiam supra calicem frangit, decidit in hunc musca. *Quaer.* Quid agendum? *Resp.* Si Petrus noster muscam istam sine nausea deglutire possit, sumat eam cum s. sanguine; si vero illam absque nausea sumere non possit, vel si illa in latere calicis sursum repente incipiat, eam caute captam lavet et comburat atque ablutionem cum cineribus in sacrario reponat.

28. Sacerdos quidam rubricas Missalis parum curat et fraterne corrigenti Collegae respondit: Non esse, quod celebrans in levioribus nimis anxius sit, dummodo in gravioribus Ritum observet. *Quaer.* Quid de hoc judicandum? *Resp.* Sacerdos iste a peccato gravi haud erit excusandus; est enim peccatum ex genere suo mortale, negligere Rubricas Missalis, quia Pius V. in virtute sanctae obedientiae praecipit omnibus, ut Missam juxta ritum et formam, quae in Missali habetur, celebrent, et dici non potest, illum in materia levi tantum delinquere. Sciat, maledictum vocari eum, qui facit opus Dei fraudulenter (negligenter).

29. Cooperator a Parocho infirmo delegatus ad assistendum cuidam matrimonio, vocatur eodem tempore ad quendam graviter decumbentem, quapropter subdelegat ad illam assistentiam Collegam suum. *Quaer.* An hic assistere possit? *Resp.* Sine licentia Parochi minime; potestas enim delegata subdelegari non potest.

30. Neocooperator, delegatus ad assistentiam matrimonii inter Viduum et Virginem contrahendum, quaerit a Parocho, num has nuptias benedicat? *Quaer.* Quid respondendum? *R.* Secundum Ritualia sunt hae nuptiae benedicendae utpote inter viduum et mulierem nemini usquam nuptam; in nuptiis vero inter virum quemcumque et viduam, benedictio iterari non debet.

(Cf. S. Thomam in 4. dist. 42. q. 3. art. 2. ad 1.)

31. Cooperator ex confessione alicujus mulieris cognoscit impedimentum matrimonii contracti occultum, et impetrata in foro conscientiae dispensatione, ex quonam Curato prudente quaerit, num tale matrimonium coram Parocho et testibus iterum sit celebrandum? *Qaer.* Responsio? *Resp.* Si impedimentum est vere occultum et matrimonium jam contractum in facie Ecclesiae, satis est, ut conjuges, dispensatione impetrata, *secreto* consensum renovent.

32. Cooperator Missam pro sponsis, ex quibus spousa mulier vidua est, in festo dupl. celebraturus quaerit e Parocho, num Missa votiva pro Sponsis, an Missa festi currentis dicenda sit? *Quaer.* Quid respondendum sit? *Resp.* Esse dicendam Missam de die; nam si mulier est vidua, non solum debet omitti benedictio nuptiarum, sed etiam Missa propria pro sponso et sponsa.

(S. R. C. 3. Marth. 1761.)

33. Quibus diebus celebrari possit Missa votiva pro Sponsis et quo ritu? *Resp.* Missa votiva pro Sponsis celebrari potest qualibet die, exceptis Dominicis aliisque Festis de praecepto ac duplicibus 1. et 2. classis, diebusque festa duplicia omnino excludentibus, ad quos pertinent Octavae privilegiatae. In his diebus exceptis est dicenda Missa de die cum commemoratione nuptiarum sub distincta conclusione. Si vero Missa votiva pro Sponso et Sponsa celebrari potest, legenda est *in colore albo et sine Gloria et Credo cum tribus Orationibus*, prima videlicet ejusdem Missae votivae propria, ut habetur in fine Missalis, 2. et 3. die currentis, ut in Rubric. Tit. VII. n. 3. de Commemorat., *Benedicamus Domino* et *ultimo Evangelio S. Joann.*

(S. R. C. 30. Decbr. 1783 aprobant. Pio VI. 7. Jan. 1784; 28. Febr. 1818 approb. Pio VII. 3. Mart. 1818 et 20. April. 1822.)

34. In quadam parochia viguit usus, non raro eodem antemeridiano, quo tertia denuntiatio nuptiarum facta erat, sponsos conjungendi; quem usum Neoparochus tamquam pessimum abusum servare renuit. *Qauer.* Num jure? *Resp.* Affirmative; nam extra casum necessitatis et prohabiliter sine impetrata ab Ordiuario facultate Parochus eodem die, quo tertia denuntiatio facta est, matrimonio non assistat; ad quid enim tertia denuntiatio, si ista vix peracta matrimonium jam contrahitur? Nonne illa illusoria est, et ille usus, imo abusus quasi dispensatio circa tertiam denuntiationem a Parocho sibi arrogata, quae severe prohibita est.

35. Sacerdos scrupulosus, non obstante, quod ante Sacrum fecerit intentionem consecrandi panem et vinum apposita vel apponenda, juxta Christi institutionem et intentionem Ecclesiae, suumque Sacrificium applicandi illi, qui petiit deditque stipendium, vel ei, cui vult Superior prodesse tale Sacirficium, nihilominus, per distractionem immemor istorum sub ipsa Missae oblatione, in fine anxiatur dubitatque, an satisfecerit suae obligationi per omnia. *Qaer.* Quid solatii tali misello dandum? *R.* Intentionem, tam generalem offerendi ad cultum Dei, quam particularem utramque consecrandi et applicandi fructum Sacrificii, utique optimam ac utilissimam esse *actualem* explicitam habitam tempore consecrationis, eam tamen necessariam non esse, sed omnium consensu sufficere intentionem *virtualem*, nimirum virtute intentionis actualis praehabitae et nunquam revocatae, adhuc in operatione moraliter perseverantem, moventem et influentem in praesentem actum oblationis, consecrationis etc. ut nimirum vere moraliter ideo nunc fiat oblatio vel consecratio, quia quis antea intendit et voluit. Omnis igitur Sacerdos, qui ratione praeditus induit se vestibus sacris et procedit ad altare utique cum

proposito ac voluntate dicendi Missam, habet intentionem virtualem saltem implicitam, quae sufficit ad consecrationem. At vero ad applicandum fructum Sacrificii verius est, sufficere intentionem *habitualem*, nimirum semel habitam et non revocatam. Ita communis sententia D. D. Cf. S. Alphons. lib. 6. tr. 3. c. 3. dub. 2. n. 335. q. I. — Quid ergo amplius requiris? quid te in Missa sine merito crucias, dum proprio tuo judicio nixus doctorum ac prudentum hominum consilia negligis? Cave, ne tandem plus sapere volens, quam sapias, desipere incipias! *(Continuatio seq.)*

L. 170.

Dziennik ustaw i rozporządzeń krajowych.

Część XX. z roku 1869.

Nr. 41.

Ustawa,

znosząca ustawę z dnia 2. Lutego 1867. r., o utworzeniu w każdéj parafii wyznania katolickiego funduszu zapasowego na pokrycie kosztów stawiania, i głównych reparacyj budynków kościelnych i parafialnych.

Zgodnie z uchwałą Sejmu Mojego Królestwa Galicyi i Lodomeryi z Wielkiem Księstwem Krakowskiem, rozporządzam, co następuje:

Artykuł. I. Ustawa, z dnia 2. Lutego 1867. r., o utworzeniu w każdéj parafii wyznania katolickiego funduszu zapasowego na pokrycie kosztów stawiania, i głównych reparacyj budynków kościelnych i parafialnych, znosi się.

Artykuł II. Fundusze zapasowe parafialne, które na mocy ustawy z dnia 2. Lutego 1867. r. powstały i istnieją, zostają pod zarządem komitetów parafialnych, i użytemi będą do pokrycia kosztów stawiania, i głównych reparacyj budynków kościelnych i parafialnych właściwéj parafii, o ile nie wystarczają środki wykazane w §§. 1. aż włącznie do 7. ustawy o konkurencyi kościelnéj z dnia 15. Sierpnia 1866. r.

Artykuł III. Wykonanie téj ustawy polecam Moim Ministrom Spraw Wewnętrznych i Oświaty.

Wiedeń dnia 12. Grudnia 1869. r.

Franciszek Józef m. p. **Giskra** m. p.

Tarnów dnia 20. Stycznia 1870.

Ex mandato Illustrissimi ac Rever. Praesulis

Franciscus Ser. Szlosarczyk,

Officialis ac Vicarius generalis.

E Consistorio Episcopali,

Tarnoviae die 31. Januarii 1870.

Cyprianus Netuschill,

Cancellarius.

Tarnoviae, 1870. Typis Anastasii Rusinowski, Typographi Episcopalis. Impensis Consistorii.